

tiquitus instituta historiarum monumenta loquuntur. Quod si enim & de his superstitionis antiquitatis monumenta consulamus, amplum certe differendi campum *Jonstonius* nobis aperit. Hic enim Doctor in suo de Festis Hebræorum & Græcorum Schediasmate a) XX. Festa enumerat, quæ ceu solenniora, præter innumera ista Junonis, Minervæ, Cereris, Dianæ, Proserpinæ & Veneris, Heroinarum venerationi sacravit antiquitas. Licet vero de uno alterove Festo Heroinarum Festis a *Jonstonio* adnumerato dubitemus: Non dubitamustamen ex *Hesychii*, *Porphyrrii*, *Plutarchi* aliorumq; Auctoritate in eorum censum Ἀγρεύλια, Ἀγρεύια, Μύσεια, Νύμφεια, Νεμέσεια, Ἀριάδνεια, Ἑλένια, Ὑβριστικα cum *Jonstonio* referre. Nec tacenda hoc loco sunt Festa Amazonum, quæ *Plutarchus* in *Thesco* b) Amazonibus ab Athenis celebrari solita refert. Unde sunt, qui non immerito pro Numinibus habitas fuisse in urbibus suis Amazonas existimant, illudque variorum numismatum, in quibus nudæ, Deorum ritu, Amazones spectantur, inductione probare nituntur. Id enim proprium Deorum esse sciscunt, ut nudæ eorum effigies ponantur. c) Quare præter illa apud *Plutarchum* novi adhuc Festi apud *Petitum* d) mentio fit, quod quidem in Dianæ ac Martis honorem ab ipsis Amazonibus celebratum & τειροπόλιον, ob solitam fortè Dianæ potissimum ibi tauri immolationem, dictum *Hesychius* & *Diodorus* e) Auctores sunt: cum vero Amazonum gloriam cum Dianæ religione & cultu conjunctam, semper fuisse *Eustathius* f) convincat; non immerito sub Dianæ nomine & imagine in ipsarum Amazonum, vivis ereptarum, venerationem institutum a *Petito* g) judicatur.

§. XI. Non minoris superstitionis arguenda est, quæ in Papatu dudum radices egit, impia sane pietate insignium Heroinarum suarum ἀποθέωσις, seu, ut cum ipsis Pontificiis loquamur, Canonizatio. Solennes enim, quos in memoratam modo Papatus Canonizationem in-  
vexit, inanis animorum hariolatio, ritus aniles Gentilium superstitiones non minus ac hircum stabula redolent. Inter cæteras, quæ Pontifices

a) *Tit. II. C. VI. p. 109.* b) *p. 13. B. Edit. Francof.* c) *P. Petit. de Amazonibus p. 240.* d) *p. 246.* e) *ap. Petitum p. 244.* f) *In Commentariis ad Dionysii ὡρίηγησιν,* g) *p. 245. seqq.*